

status et conditiones dirigendi et praeparandi, natura sua non ad auctoritatem publicam sed ad paternam domesticam pertinet; nec potest pater jure illo suo privari vel in eo restringi, nisi ob jus fortius oppositum collidens; — *a* tale jus fortius collidens nullum datur; *e*.

*Ad min.* Jus illud fortius deberet esse 1) necessitas boni communis totius societatis, aut 2) alicujus particularis hominis necessitas absoluta ad finem ultimum; — *a.* 1) bonum commune societatis seu finis ipse societatis, est familiarum liberum exercitium suorum jurium, quod proinde sibi ipsi oppositum et in conflictu esse nequit; — 2) excogitabilis non est necessitas aliqua absoluta ad finem ultimum unius, ut restringatur aliorum libertas illa parentum; *e*.

OBJIC. 1o Pueri jns habent ut a parentibus debite instruantur; *e* si quando id parentes negligant, cogendi sunt. — *R. d. ant.* ut debite, i. e. secundum suam conditionem et adjuncta concreta, *c*; i. e. in determinatis rebus, secundum determinatas methodos, quarum alii melius quam parentes sint in concreto judices apti, *n*.

*Inst.* At fieri potest ut parentes plane deficiant vel munus negligent; *e* saltem tunc auctoritas civilis pueros educandos suscipere debebit. — *R. c. ant.* — *d. cons.* tunc in societate bene ordinata erunt organa ad hoc propria, quae suacione, non quae vi et lege agant, *c*; ipsius status erit hoc munus, *n*.

OBJIC. 2o Pueri habent jus ut cognitionibus donentur quibus non ignari, miseri, prosperitate communii privati, vivere debeant; *a.* ad hoc requiritur ut scholas frequentent; *e.* — *R. c. maj.* — *n. min.* vel *d. min.* ad hoc valde utile est, *c*; nesse est, *n*. (teste historiae experientia).

OBJIC. 3o Bonum communue exigit 1) ut leges et magistratum ordinationes cito et certo omnibus promulgentur; — 2) ut omnium unitas mentium et opinionum foveatur; — 3) ut progressus in agricultura, in industribus variis, in mercatura, promoteantur; — 4) ut religio et moralitas omnibus inculcentur; — *a.* ad haec omnia requiritur scholarum frequentatio,